§. 26. Atque hæc Remedia nobis convenire videntur cum *Glutinantibus* superius jam recensitis, quibus adhuc Lapidem istum *Osteocollam* dictum, ac in pulverem subtilissimum, affusâ subinde *Aquâ Plantaginis*, redactum adjicimus. Imò & Cibi gelatinosi ac mucilaginosi eundem in finem non sine ratione commendantur, utpote quibus fluxibilitas nimia seri sanguinei corrigitur, Saliaque acida, aut scorbutica absumuntur, & edulcorantur. Tandem si res accuratissimè pensitetur, nonsolùm externè *Emplastra epulotica*, sed & commodissima deligatio periti Chirurgi ad hanc auxiliorum Tabulam pertinere videtur.

Formulæ Poroticorum.

℞. *Emplastr. Catagmat.* ℥iv.
Malaxat. Ol. Hyperic. inducatur linteis expansis, ut applicetur membris fractis.
℞. *Osteocoll. ppt.* ℥ß.
Fiat. pulv. divid. in 4. dos. æqu. ad ch. Ut quotidie mane una sumatur cum *Aqu. Saniculæ.*

CAPUT XIV.

De Medicamentis contra Ambusta.

§. 1.

Anticauſticorum definitio.

R*Emedia ad Ambusta* dicuntur, quæ partes à quacunque re urente læsas suæ integritati restituunt. Cùm verò quamplurimis rebus ardentibus partes nostri corporis comburi queant, simulque ipsius ustionis plures gradus observati sint, meruit hæc doctrina ex professo ab aliquibus Medicorum tractari fusius, hinc & peculiaris extat *de Combustione* Tractatus, à *Guilhelmo Fabricio Hildano* in lucem e-

ditus, quo quidem non ſolùm diverſos Combuſtionis gradus, ſed & variam cujusque cauſam efficientem ita deſcripſit, ut tandem etiam pro quâlibet Combuſtionis ſpecie pecularia Remedia expoſuerit. Etenim non tam ad res urentes, quàm verò ad Uſtionis gradum, læſionisque majorem vel minorem magnitudinem, attendendum eſſe arbitramur.

Uſtionis effectus.

§. 2. Quæcunque ergo læſio contingens à rebus ignitis, fit per particularum ignearum validam, tum in fibrillas cutaneas, tum in lympham Glandularum miliarium, imò & vaſculorum ſanguiferorum ſuccum impulſionem, quâ fit, ut partim fibrillæ ipſæ à ſpiculis igneis punctæ criſpentur, ſive corrugentur, hincque ſucci iiſdem contenti ſubſiſtant, ac ſtagnare incipiant, partim eædem fibrillæ à ſpiculis igneis potentius mordicatæ prorſus diſſiliant & diſcindantur, ſicque Uſtionis periculoſior gradus producatur; tandemque, ubi res urens diutius membro applicata manſit, partes uſtæ penitus enecentur ſive emoriantur, propter circulationem ad affectas partes totaliter impeditam.

Primus gradus.

§. 3. Quod ergo jam *primum Uſtionis gradum* attinet, quo ſolùm Cuticula cum extremâ Cutis ſuperficie nonnihil aduritur, vel contrahitur, ſine veſiculis, aut puſtulis, hic indicabit *Remedia contra Ambuſtionem leniora*, quæ nimirum coagulationem humorum impediunt, & eorundem appulſionem ad partem affectam promovent, uno verbo, quæ pollent aliquali volatili Sale diſcutiente, cum particulis oleoſis ſubtilibus & unctuoſis conjuncto. Ita ut quæ in reliquis Uſtionis gradibus couducunt, in hoc caſu tantò magis proficua ſint. Proſunt hinc applicationes *Spiritus Vini ſimplicis*, aut *Camphorati*, *Spirit. Ceras nigrorum*, *Spiritus theriacalis campho-*

camphorati, Spiritus Lil.convall. Spirit.Anthos, ſive *Reginæ Hungar.* & ſimilium. Vel etiam ſola *Hederæ arboreæ folia* recentia, cum Cœpis Butyro recenti incoqui poſſunt, hincque colatum & expreſſum Unguentum in uſum vocari, quod quidem remedium, etiamſi euporiſton, multis inter ſecreta & arcana, ceu valde efficax numeratur.

§. 4. Mulierculæ in leviori hocce malo, nunc *Oleum Roſarum*, nunc *Oleum Liliorum alborum, Violarum, Hyperici*, aut *Loti hortenſis*, nunc *Oleum Ovorum*, nunc *Oleum* illud *ſordidum* in lampadibus jam ſemiuſtum feliciter uſurpant, & Empyreuma iſtud perſanant; Aliæ ſolam *Aquam muriaticam, Rapis* aut *Braſſicæ ſalitis* innatantem, & de *volatili nitroſo temperato Sale* iſtarum rerum, vel plantarum multum participantem, optimo cum ſucceſſu ſub fotûs calidi formâ, ad educendum Empyreuma, curandamque Inflammationem uſurpant. Sunt qui *Atramenti, Vitrioli, Gallarum*, aut *Aluminis* etiam uſum hic commendent; verùm cum hujus generis medicamenta multum participent, de particulis *Salino acidis, ac terreſtribus adſtringentibus*, hactenus eorum uſum ſuſpectum habuimus. *Remedia.*

§. 5. In *ſecundo Ambuſtionis gradu*, in quo tota Cutis craſſities jam non ſolùm inflammata, ſed prorſus exulcerata eſt, puſtulæ nunc majores, nunc minores, propter Lymphæ in circulatione impedita ſtagnationem, & collectionem oriuntur, imò quandoque tubuli penitus exuſti & dilacerati in cincinnos abeunt, atque hinc Cruſtæ producuntur, ob ſucci appellentis defectum ſiccæ. *Secundus gradus.*

§. 6. In *tertio* denique *Uſtionis gradu*, ignis ultra Cutim penetrando etiam Carnes ſubjectas infeſtat; ita quidem ut in hoc caſu tota illa Cutis portio, quam ignis tetigit, penitus emoriatur, & fi- *Tertius.*

bræ tubulique complures musculorum sub Cute sitorum, nunc magis, nunc minus vim ignis experti utplurimum tardius regenerentur.

Materia. §. 7. Remedia proin hisce vehementioribus Ustionis gradibus convenientia, iis particulis constare debent, quæ motum sanguinis & humorum circulatorium naturalem ad partes affectas jugiter fovere, hinc & quicquid exustum est, separare, Ulcus extergere, Naturæque adeo in resarciendo defectu utiles suppetias ferre apta sint. Hunc in finem commendantur *Temperantia, Demulcentia emollientia*, blando *Sale volatili mucilaginoso* aut *balsamico* gaudentia, verb. grat. *Balsamus Samaritanus*, ex *Oleo communi*, & *Vino rubro*, per coctionem confectus, *Oleum vitelli Ovorum*, *Oleum Verbasci*, *Loti hortensis*, *Hyperici*, *Papaveris*, *Violarum*, *Ceræ*, *Mucilago Seminis Cydoniorum*, *Seminis Psyllii*, *Sperma Ranarum*, *Cerussa*, *Litharggyrium*, *Pompholyx*, *Tutia*, *Calx viva*, *Unguentum de Litharggyrio*, *populeum*, *ad Ambusta Mynsichti*, *Camphoratum*, *Emplastra* tandem ex *succis Herbarum Sempervivi*, *Solani*, *Hyoscyami*, *Nicotianæ*, *de Spermate Ranarum*, *Diapompholygos*. Quibus etiam subinde ad Gangrænæ &Sphaceli præcautionem, superaddenda sunt *Fomenta*, ex plantis cephalicis cum Vino coctis parata.

Formulæ. §. 9. Formulæ autem ex ejusmodi Remediis concinnandæ, sunt partim *Unguenta*, partim *Linimenta* & *Balsama*, partim denique *Fotus*, v. gr.

Formulæ anticausticorum.

℞. *Balsam. vulner. cujuscunque boni.*
Liquor. Saturni opt. dulcific. ana ℥j.
M. d. ad Oll. Vel
℞. *Ungt. de Litharg.*
alb. camphor. ana ℥j.

Ol.

Ol. Cer. ʒij.

M. pro inungendis partibus, bis vel ter de die.

Vel

℞. *Ol. Ovor.*
Hyperic. ana ℥j.
Calc. viv.
Litharg. ana ʒij.
Camphor. ʒj.
M. d. ad Oll. Vel

℞. *Ol. Rosar.*
Lot. hortens. ana ʒiij.
Emplastr. de sperm. Ran. ʒvj.
Ceruss. ʒj.
Camphor. ℈ij.
M. F. Unguentum inungendum. Vel

℞. *Mucilag. Sem. Cydon. cum Aqu.*
Spermat. Ran. fact.
Vitell. Ovor. ana ℥ij.
Ol. Hyperic. ℥iß.
Lil. albor. ℥j.
Ceruss. ʒiij.
Magister. Antimon. ʒj.
M. d. ad Oll.

℞. *Rad. Allii, vel Cepar. Num.* iv.
Fol. Hed. arbor. rec. Mij.

Incisa tenuiter coque in Butyro rec. hinc Colaturæ expressæ adde
Olei Ceræ ℥ß
Lil. albor. ℥iß.
Misc. detur ad Oll.

℞. *Ol. Ovor.* ℥iß.
Ceræ ℥ß.
Ceruss. Litharg.
Tut. Camphor. ana ʒj.
Misc. f. Linimentum.

℞. *Aqu. Calc. viv.*
Spir. Vin. camph. ana ℔ß.

Misc. ad Vitr. Ut fiant cum linteis hoc liquore imbutis fomentationes calidæ. Vel

℞. *Herb. Beton.*
Absynth.
Origan.
Hed. terr.
ana M j.
Myrrh. Camph. ana ʒ ij.

Incis. & cont. coqu. in Vino alb. q. s. ut lintea calenti liquori immersa ambustis partibus applicentur. Vel

℞. *Flor. Fœni sicc.* M iv.
Stercor. caball. bolos iv.
Affunde Vini alb. q. s. & sæpe calefiat pro fomentatione.

CAPUT XV.

De Resolventibus.

§. 1.

Resolventium definitio.

ETsi *Resolventium* materia hinc inde sub Tabulâ *Aperientium, Cephalicorum, Cardiacorum, Hepaticorum, Sudoriferorum, Diureticorum,* &c. specialiùs tradatur, hic tamen in genere sub *Resolventium* Classe illa tantùm Remedia indigitata cupimus, quæ humorem qualemcunque in partibus coagulatum & congestum attenuant, resolvunt, atque fluidiorem efficiunt, quæ sicubi *externo* usui adhibeantur, *Dissipantia* vel *Discutientia* appellari merentur; quando autem *interné* præbentur, aptius *Resolventia*, vel etiam *Grumos sanguinis Dissolventia* dicuntur,

Differentia